

GALILEO GALILEI

Sidereus Nuncius, Venedig, 1610

Ex iteratis inspectionibus in eam deducti sumus sententiam, ut certo intelligamus, Lunae superficiem, non perpolitam et aequabilem esse, ut magna philosophorum cohors de ipsa deque reliquis corporibus caelestibus opinata est, sed, contra inaequalem, asperam, cavitatibus tumoribusque confertam, non secus ac ipsiusmet Telluris facies, quae montium iugis valliumque profunditatibus hinc inde distinguitur.

Est enim Galaxia nihil aliud, quam innumerarum Stellarum coacervatim consitarum congeries: in quamcumque enim regionem illius Perspicillum dirigas, statim Stellarum ingens frequentia sese in conspectum profert, quarum complures satis magnae ac valde conspicuae videntur; sed exiguarum multitudo prorsus inexplorabilis est.

HEINRICH INSTITOR (KRAMER)

Ad illud, an maleficae visibiliter vel invisibiliter huiusmodi spurcitas agant, dicendum, quantum experientia nos edocuit, quod licet semper visibiliter ex parte maleficae daemon incubus operetur ita, quod non est necessarium invisibiliter propter foederatum pactum et expressum ei appropinquare. Tamen, quoad circumstantes, saepius ipsae maleficae supinae iacentes in agris seu silvis visae sunt et denudatae supra umbilicum et cruribus se agitantes (fol.56r) daemonibus incubis invisibiliter, quoad circumstantes, cooperantibus. In fine actus vapor nigerrimus in longitudine hominis sursum a malefica in aerem elevabatur: sed hoc rarissime. ... Sed et hoc contigisse certum est, quod mariti interdum viderunt incubos daemones, quos tum non daemones sed viros putabant, cum eorum uxoribus talia peragere. Sed cum arma arriperent et transfodere volebant, subito daemon disparuit se invisibile faciendo.